Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

pseuttores · illuminatore contra errores · inflammatore contra quempiam ut omnibus valeam beneplacitum tuum facere · et ab offensa tua abstinere amen

De inicio publice predicacionis

Cum autem ihesus audisset quod ihesus ibi dum iohannes ederat eet · scilicet iam esset sine dubio a deo · quia in unum simul nec post aliud non tradidit eum deus · et agnouisset per intimacionem spiritus sancti quod audierunt pharisei quod plures faceret discipulos et baptizaret quam iohannes · et inde contra eum inuidia acceperunt maiore · quamquam ihesus non baptizaret tunc per semetipsum exteriori tinctione corporum · sed discipuli eius quos ante ipse baptizaverunt postea · reliquit iudeam in qua erant pharisei machinantes inuidentes augmento baptismi et doctrine xpi · qui ad capiendum iohannem consilium dederant et xpum etiam persequi cogitabant propter baptismum ipsius qui crescebat et propter doctrinam eius per quam euacuari legem intelligebant et suscipiendi gentiles habebant occasionem · et secessit seu abijt iterum in galileam · Cessit autem ihesus primo ut exemplum pacis et mansuetudinis malis cedendi daret · secundo ut absentatione inuidia eorum mitigaretur donec melioris animi fierent · tercio ut nobis fugiendi persecutores et prudentiam formam preberet · quarto ut alijs exemplum predicaret · quinto quia tempus passionis sue nondum venerat · sexto ut ibi dei transitum a iudeis ad gentiles prefiguraret · et ex hoc discipulos quid quandoque facturi erant instrueret · Iste enim transitus eius transitum eiusdem ad gentes significabat ad quas eum transire impellebat · Et ingressus est ihesus in galileam in uirtute spiritus faciendi signa et miracula · quia quamuis esset plenus spiritu sancto tamen coram pluribus manifestauit uirtutem suam in publicatione uerbi doctrine et operatione miraculorum et fama exijt de eo per uniuersam regionem · Et excepit eum galilei honorifice propter illa que eum in ierusalem in die festo fecisse viderant et agnouerant propter quod et nichodemus crediderat · Et relicta ciuitate

nazareth ubi fuerat conceptus et nutritus venit ad predicandum · et habitauit in ciuitate capharnaum maritima · quia iuxta mare est sita prope nazareth in finibus zabulon et neptalym · Et exinde scilicet de finibus illis cepit ihesus aperte predicare et dicere · Quoniam impletum est tempus scilicet humane redempcionis · et venit plenitudo temporis quo deus tempus habens penitentiam agite et credite euangelio · quia sine penitentia et fide impossibile est placere deo · Appropinquauit enim regnum celorum quia ianua celi aperta est per xpm · Unde beda · Regnum enim celorum ianuas appropinquare est de hijs quoque qui ab eo discesserant penitenti · Unde et ideo · Penitentiam agit qui uult eterno bono scilicet regno dei adherere · Qui enim desiderat nucleum frangit nucem · amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat · periculum maris spes lucri delectat · dolorem medicine spes salutis mitigat · Mistice plus quam ihesus antequam publice predicaret venit in galileam insinuatur quod predicator euangelij primo debet transmigrare de carnalibus ad spiritualia et de terrenis ad meditandum celestia · quia galilea transmigratio interpretatur · Et propter hoc quod habitauit in capharnaum que maior et populosior erat ut predicando et miracula faciendo plures illuminaret · relinquit secundum remigium predicatoribus exemplum ut eo tempore et illis locis studeant predicare quando et ubi multos possit prodesse · Capharnaum et de est inter fines iudee et gentium · exinde ergo ihesus predicare cepit · unde vocare iudeos et gentiles presignaret · quod utrosque saluare venerat · In galilea enim gentes simul et iudei habitabant et ideo ibi debuit fundari lapis angularis qui faceret utraque unum · duos in se adiungens parietes gentium et iudeorum · Unde et post dixerunt sacerdotes ad pilatum commouit uniuersam iudeam incipiens a galilea usque huc · Fuerunt autem due galilee una iudeorum altera gentium · Diuisa est enim galilea a tempore salomonis quia xx ciuitates in galilea dedit hyram regi tyri quas gentes ibi posuit · quare pars predicta dicta est gentium et reliqua iudeorum · Et in primo illo cepit dominus